



Praxis Avrea Qvotidianarvm Rervm Ecclesiastici Fori

In qua Variæ Iuridicæ Resolutiones ex approbatis traditionibus Doctorum,
atque diuersorum Tribunalium, præsertim Rotæ Romanæ, Decisionibus,
excerptæ, continentur; Opvs Qvatvor Partibvs Distinctvm

Continens Tertiam, & Quartam Partem: Quibus, hac nostra editione ab
innumeris mendis repurgata ...

Riccio, Giovanni Luigi

Venetiis, M.DC.LXXIV.

Praxis Qvartæ Episcopalis, & Parochialis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98599](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98599)

expediens videre n.3. vers. quinimo ad commodum proprium. & idem Anch. meminit huius requisiti vti-
tur verbo, maxime, ceterum aperte vult sufficere,
duo priora requisita in conf. 385. licet pridie in causa
n.6. his verbis, item non est verisimile, quod si fuisset
sanus permutasset suam præbendam pinguem cum
beneficio tenui, ex quo solo præsumitur fraus, maxi-
me, quia cum persona domestica, & in domo sua, Nec
pluribus quam prioribus binis requisitis nititur in
eadem facti specie Oldrad. consil. 324. factum tale est
D. noster Papa Clemens quintus n.6. vers. quinto re-
nunciatio, & n.7. vers. colligitur etiam.

Nisi explicemus illa verba tria copulatiue requiri,
id est semper tria copulatiue concurrere, infirmitatem
scilicet commutantis pinguius beneficium, quod abdi-
cetur ab infirmo commutante, & consanguinitatem,
seu maximam necessitudinem inter commutantes,
verum duo priora requisita sunt probanda, quibus
probatum hoc tertium venit in consequentiam, nec est
probandum, siquidem hostibus, aut ijs, quos nunquam
nouimus vix aquam commodandam arbitramur.

PRAXIS QUARTÆ EPISCOPALIS, & Parochialis.

RESOLVT. CCCXLII.

- 1 Quid sit quarta Episcopalis, & à quibus debeatur, & cui Ecclesie.
- 2 Quomodo intelligatur, quod quarta debet peti à legatarijs.
- 3 Duo requiruntur, vt debeatur Episcopo quarta.
- 4 Non solum de legatis, sed etiam de omnibus mortuarijs, seu funerarijs debetur quarta Episcopo.
- 5 In concursu quartæ Episcopalis, & parochialis prius deducenda est Episcopalis quia dignior est.
- 6 Quarta huiusmodi taxatur iuxta consuetudinem loci.
- 7 Si consuetudo non appareat attenditur consuetudo Ecclesie Metropolitane, & si hæc non appareat vicinarum ciuitatum attenditur.
- 8 Appellatione locorum piorum, quæ veniant.

Quid sit quarta Episcopalis, & quæ requirantur, vt debeatur.

1 Q uarta Episcopalis est, quæ debetur Episcopo de relictis factis per testatorem locis pijs, pro anima, & debetur non ab hæredibus testatoris, sed ab Ecclesijs sibi subiectis, quibus talia legata sunt gloss. in c. officij c. requisita & cap. vltimo de testamen. Bald. in l. si quis ad declinandam §. in omnibus C. de Episc. & cler. Zabar. & alij quos probat Tusch. in verbo, quarta conclusione 21. Megal. tom. 2. instit. confel. c. 14. num. 2. & seqq. Azor. cap. 12. q. 2. instit. moral. eique debetur tanquam patri spirituali, & propter onus Episcopale, quod sibi incumbit, etiam si hoc non exprimat in testamento, quia ex dispositione iuris hanc quartam consequitur, nec potest testator prohibere, quod Episcopus illam habeat.

Quod autem diximus petendam esse huiusmodi quartam à legatarijs intelligitur quoties legatum esset solutum. At si solutum non esset iam peteretur ab hæredibus, vel executoribus testamenti ita Hostiens. & Ioan. Andr. in c. de his, de sepult. Bald. in dict. §. in omnibus colum. prima vers. iuxta hoc queritur Petr. de Perusio, & alij plures, quos probat Megal. loco cit. Tusch. in verbo quarta conclus. 21. & 24. quia tunc posset Episcopus impedire vt legatarijs, integrè legatum non soluatur, sed quarta pars, soluatur Episcopo.

3 Duo igitur requiruntur vt debeatur Episcopo huiusmodi quarta. Primo vt relictum sit locis Ecclesijs

sticis, aut pijs subiectis Episcopo, & secundo quoties non adesset exceptio, seu priuilegium non soluendi, vt docent communiter DD. per illum text. in cap. requisiti de testamen. Innoc. Bal. Ioan. Andr. Feder. de Sen. Cardinal. Lopus. Petr. de Vbald. & alij quos probant Megal. dict. cap. decimo quarto, num. 8. & seqq. Tusch. dict. conclusione 21. per totam Azor. cap. 12. instit. moral. & cap. 13. & successiue recensitis casibus in quibus quarta non debetur remanebit clara probatio, ex quibusnam relictis debeatur.

4 Debetur quarta Episcopalis non solum de legatis factis Ecclesijs parochialibus sibi subiectis, sed etiam de omnibus mortuarijs seu funeralibus cap. de quarta de præscript. Feder. de Sen. conf. 6. Tusch. dict. conclus. 21. num. 9. cum alijs cumulatis per Megal. dict. capitulo decimo quarto, num. sexto, & seqq. vt reticeam alios, quia Episcopus quartam habet etiam de his, quæ occasione mortuorum perueniunt Ecclesijs sibi subiectis, vt locis citatis habetur.

Hoc est adeo verum, vt prius in concursu quartæ Episcopalis, & parochialis deducenda sit quarta Episcopalis, quia dignior est, & antiquior parochiali. Et si casu primo deducta fuerit parochialis tunc Episcopus ex illa etiam deducit quartam suam ratione citata. Ita post Hostiens. Ioan. Andr. & alios plures notat Megal. dict. capitulo decimo quarto, numer. decimo tertio, non iam vt Episcopus non possit quartam deducere, ex toto legato, vt prætendit Hostiens. sed vt deducat quartam ex quarta parochiali, & residuum totius quartæ deducat ex toto legato relicto Ecclesie sibi subiectæ latè Tusch. dict. conclusione vigesima prima, num. 17. & seqq.

6 Taxatur autem huiusmodi quarta iuxta consuetudinem loci, nam alicubi est dimidia, alicubi tertia, alibi verò est quarta pars, alium relictorum, vel funeralium cap. certificari de sepulturis, & successiue laudabilis consuetudo seruanda est, vt omnes docent, & est notum ex terminis.

7 Si vero talis consuetudo ibi non adesset tunc attenditur consuetudo Ecclesie Metropolitane, & si hæc non appareat seruanda est consuetudo vicinarum Ecclesiarum, quæ si varia fuerit, attenditur ius commune, vt quarta pars relictis soluitur, nam idcirco vocatur quarta, vt ex text. in c. in nostra de sepult. probant Innocen. in cap. requisiti de testamen. Archid. & alij quos sequitur Azor. dict. capit. decimo secundo, questione secunda, Bald. consil. 270. lib. 4. Tusch. in verbo quarta funerum conclus. 22. num. 10.

8 Appellatione locorum piorum non solum veniunt Ecclesie, & monasteria, sed etiam Oratoria, Hospitalia, Montes pietatis, & similia loca, in quibus exercentur opera pietatis, & successiue si subiecta sint Episcopo, & opus non sit priuilegiatum, vt ex illo relicto quarta non debeatur, vtique citra dubium, quarta soluenda est, vt post Specul. & Petr. de Vbald. notat Megal. dict. capitulo decimo quarto numero trigesimo primo, & trigesimo secundo, nouissime non desinas videre solertissimum D. Nouarium de elect. fori questione vigesima quinta, sect. 1. vbi latè multa adducit, vt in facto poteris videre.

RESOLVT. CCCXLIII.

- 1 Quid sit quarta parochialis.
- 2 Ecclesia equiparatur filio in hac quarta percipienda.
- 3 Et etiam si alibi eligatur sepultura debetur hæc quarta.
- 4 Quibus, & quando debeatur hæc quarta parochialis, numero 5.
- 6 Decisio Rote super priuilegijs clericorum regularium, & aliorum religiosorum de hac quarta.
- 7 Verba Concilij statuentis de præstatione huiusmodi quartæ parochialis.

Quid

Quid sit quarta Parochialis, & quæ requirantur ut
debeat.

Quarta Parochialis est quæ debetur Ecclesiæ parochiali de omnibus pro funere, & sepultura ab illis, qui extra parochiam sepeliuntur, ut habetur in iuribus citatis, quod varijs rationibus fuit introductum, ut post Bald. conf. 236. lib. 2. Feder. de Sen. Bart. & alios probat Tuseh. in verb. quarta funerum concl. 22. nempe ad exemplum legitimæ, quæ debeat filijs in bonis parentum, quia Ecclesiæ æquiparatur filio; Secundo ad exemplum legitimæ debitæ parentibus in bonis liberorum, quia Ecclesiæ æquiparatur matri, & successivè dum filij alibi eligunt sepulturam hæc quarta debetur Ecclesiæ parochiali; Tertio ratione onerum quæ parochialis Ecclesiæ sustinet in administratione sacram. & filij seu parochiani dicuntur illi quodammodo iniuriam facere eligendo sibi alibi sepulturam, & ad compensationem iniuriæ, & oneris solvitur illi hæc quarta, & sic de alijs rationibus, quæ dicta concl. 22. videri possunt.

Ut autem sciatur in quibus casibus hæc quarta debeat prius recensendi sunt casus, in quibus cessat, permixtim agitur etiam quando cesset quarta Episcopalis, prout agitur in quinta, & sexta responsionibus, & referemus aliqua dubia resoluta per Rotam Romanam in anno 1586. die quinto Martij contra Episcopum Syracusanum, ut per Seraphin. decision. 726. quam decisionem ad verbum refert Quaranta in compend. Bullarum in verb. quaranta Episcopalis, & varij Auctores referuntur, sed per ordinem casus prædictos explicabimus, prout in dictis responsionibus continentur.

Primo igitur non debetur quarta parochialis quoties ex privilegio essent exemptæ aliqua Ecclesiæ. Ratio est evidens, quia privilegium facit illas immunes, ut in cap. in nostra de sepulturis Clement. dudum eod. tit. cum alijs cumulatis per Megal. dicto libro secundo, capitulo decimo tertio, numero decimo primo, per Azor. dicto capitulo decimo tertio, & 12. quod privilegium habent clerici regulares, & plures aliæ Religiones, & notanda est infra scripta decisio quæ fuit facta in anno 1618. numero tertio.

R. P. D. Decano Licenti quartæ funeralium Lunæ 15. Januarij 1618.

Domini censuerunt monasterium clericorum regularium non teneri ad solutionem quartæ funeralium Reuerendissimo Episcopo, nam, & si de iure communi ista quarta spectet ad Episcopum, vel parochum clem. dudum de sepult. c. 1. & 4. cum alijs eod. tit. cap. cum quis pariter eod. tit. in 6. attamen secus est quando monasterium eximitur a dicta solutione ad tex. in c. privilegia dist. 3. cap. in nostra de sepult. in casu autem, de quo agitur ne dum prædictum monasterium, sed etiam tota Religio est exempta a dicta solutione quartæ funeralium cum Paulus IV. & Gregorius XIII. dictis clericis regularibus communicaverint omnia privilegia alijs regularibus concessa quare censentur etiam communicata privilegia exemptionis a dicta solutione quartæ, inter quæ adest privilegium Iulij II. concessum minimis de anno 1506. & aliud eiusdem Pontificis concessum minoribus de Obsequiantia anno 1511. sui Pontificatus 8. & aliud Pauli III. concessum minoribus anno 1544. & postremo aliud Pauli IV. concessum ordini Prædicatorum anno 1556. quæ per extensum refert Archangelus Caracia de quarta funeralium cap. 1.

Neque obstat Concilium Tridentinum sess. 25. c. 13. de reformat. quia cum istud monasterium sit fundatum post publicationem Concilii, & quatenus esset fundatum ante, cum non esset solitum soluere dictam quartam Concilium ei non obstat, ut declaravit San-

ctissimus Pontifex Pius Quintus in sua constitutione de anno 1567. quam refert Archangelus Caracia loco citato Guttier. de iuramento confirmatorio 2. par. capitulo quarto, numero tertio, Emanuel Rodriq. in quest. regular. tom. 1. questione 41. articulo secundo, & ita etiam resoluit Congregatio Illustrissimorum Interpretum refert Rodriq. loco prædicto.

Quod autem hoc monasterium fuerit fundatum post confirmationem Concilii ex eo probatur, quia Concilium fuit confirmatum die 27. Ianuarii 1564. Religio autem clericorum regularium fuit confirmata a Clemente VII. 13. Septembris 1524. unde per necesse inferendum est, quod hoc monasterium sit fundatum intra quadraginta annos, de quibus loquitur Concilium, & quatenus esset fundatum extra dictos quadraginta annos non probatur, quod esset solitum soluere quartam funeralium.

Neque est verum, quod prædicta Constitutio Pij V. fuerit revocata per Gregorium XIII. ut in eius Bulla, quam refert Nauarr. in Manual. capitulo vigesimo septimo, in fin. quia cum dicta Bulla Pij V. plura contineret per Gregorium reducta fuit ad terminos Concilii, ut censuit Congregatio Illustrissimorum Interpretum, ut refert Caracia loco citato, qui etiam in fine tractatus refert ipsam declarare omnia, & bene advertit Guttier. loco citato, & ita fuit resolutum vna parte tantum informantis.

Verba autem Concilij de quibus fit mentio in dicta decisio, sunt huiusmodi: decernit Sancta Synodus quibuscunque in locis iam ante annos quadraginta quarta, quæ funeralium, dicitur Cathedrali aut parochiali Ecclesiæ solita esset persolveri, ac postea fuerit ex quocunque privilegio alijs monasterijs hospitalibus aut quibuscunque locis pijs, concessa eadē post hac integro iure, & eadem portione quæ antea solvebatur Cathedrali, seu parochiali Ecclesiæ persolvatur non obstantibus concessionibus, gratijs, privilegijs, Marti magno nuncupatis, aut alijs quibuscunque.

RESOLVT. CCCXLIV.

- 1 De quibus, & in quibus casibus non debeat quarta parochialis vide per discursum.
- 2 Quarta parochialis non debetur de donatis in vita etiam si postea sepeliatur in illo loco, cui fecit donationem, & amplia num. 3. & quid in dubio, num. 4. amplia num. 5. & num. 7. & vid. num. 8.
- 6 An debeat quarta de novitio religioso.
- 9 Non debetur quarta si legatum fuerit Ecclesiæ, in qua non sepelitur nec elegit sepulturam: amplia, num. 10. & num. 11. 12. 13. & num. 14.
- 15 Quando dicatur usus pius privilegiatus: amplia, num. 16. & decl. num. 17.
- 18 Cum relinquatur aliquid parrochie, vel Episcopo presumitur animo compensandi.
- 19 Quarta parochialis non est soluenda nisi petatur.

Quarta parochialis de quibus non solvitur.

Quarta de candelis, quæ ad manus deferuntur, virtute supradicti privilegij non solvitur sunt enim propriæ illorum, quibus dantur ut ex dictis privilegijs constat, & post Io. Bapt. confect. notat Megal. c. 13. num. 12. ubi num. 15. post Couar. in c. ultim. de testament. Rodriq. tom. 1. quæst. Regul. quæst. 39. art. 2. & alios notat hoc idem procedere de cereis, seu candelis, quæ non deferuntur cum cadavere, sed prius mittuntur ad Ecclesias regularium, ut nullo modo ex illis debeat quarta, non solum ratione talium privilegiorum. Sed quia ita se habet antiquata consuetudo, quæ interpretatur leges, & successivè sic servanda est, prout magis patebit ex dicendis.

2 Secun-

Secundo non debetur quarta parochialis de donatis in vita etiam si postea testator in illo loco pio, cui fecit donationem sepeliatur, ut est text. in capit. de his §. si verò de sepult. Idem est quoties in testamento talem donationem irrevocabilem fecisset testator huiusmodi loco pio, nam etiam in testamento potest fieri donatio inter vivos, ex qua non deberetur quarta, sicut non deduceretur falcidia, ut post Oldrad. consil. 114. numero secundo, probat Megal. dict. cap. decimo tertio, numero trigesimo, cum alijs cumulatim per Tufch. in verbo quarta conclus. 27. numero 40. & 41.

Hoc idem procedit si re vera esset legatum, vel donatio causa mortis, sed testator adhuc vivens adimplevit promissum, hæc enim transiret in donationem inter vivos, ut post gloss. in l. legatum ff. de leg. secundo, notat Sylu. in verb. Canonica portio, quæst. nona, Azor. insit. moral. lib. 9. cap. 13. quæst. 4. in secundo casu Oldrad. consil. 225. Bald. & Fulgos. quos probat Tufch. dict. conclus. 27. numero 90. Et licet Panormit. & Cardinal. penes Sylu. loco cit. teneant oppositum, intelliguntur quoties post mortem testatoris transiret dominium illorum bonorum in Ecclesiam non autem si in vita.

Si verò inveniretur facta donatio simpliciter, nec constaret esse causa mortis, vel inter vivos, tunc resoluitur questio ex discussis tractat. decimo secundo, capitulo decimo septimo, si sit in illa facta mentio mortis, ut dominium, & possessio bonorum transeat in donarium post mortem donantis, tunc esset donatio causa mortis, & ex illa deberetur falcidia, & consequenter hæc quarta, secus si constet oppositum, ut effectum sortiatur donatio inter vivos saltem quoad dominium, quamvis possessio capiatur post mortem, ut est text. in l. Scia. §. final. ff. de donat. caus. mort. vbi gloss. & Bart. post Dyn. Bald. Alexandr. Couar. & alios probat Megal. dict. capit. 13. numero 29.

Ampliatur etiam procedere quoties aliquis elegisset sibi sepulturam in aliquo loco, & postea bene valens obtulit se, & bona sua tali loco, vel in illo professionem emisit, tunc enim desinit esse parochianus alterius Ecclesiæ, ex regul. text. in capitul. beneficium de regular. & transeunt. ad religion. in sexto, & consequenter de bonis suis nihil parochiæ debetur, ita gloss. & Panormitan. in capitulo relatum de sepult. Ioan. Andr. Archidiacon. & alij quos probat Tufch. dict. conclusionem vigesima septima, numero 32. Azor. dict. capitulo decimo tertio, quæstione 4. §. tertius casus, Megal. dict. libro secundo, capit. 14. numero 14. & seq. vbi de quarta Episcopali etiam loquitur.

Est tamen questio si moriatur novitius intra annum novitatus, an debeatur quarta parochialis, & Innocent. affirmat; Panormitan. verò negat sic etiam Sylu. & alij, quos probat Azor. dict. quæstione quarta, §. quid si in monasterio, & ratio vera est, quia de bonis relictis causa sepulturæ, & funeris debetur quarta parochialis, sed per talem dedicationem si bona acquirantur monasterio, non intuitu sepulturæ acquiruntur, sed ex dedicatione, etiam quia verior est opinio, bona prædicta spectare ad venientes ab intestato, si novitius expressè aliud non declaraverit, ut latius post alios probat Molfes. tom. primo, ad consuet. Neapolitan. parte prima, quæst. 64. vbi in septimo volumine alios cumulat.

Et hinc est etiam, quod si aliquis declaret se pro alijs causis, quam pro sepultura relictum facere, quamvis in illo loco sepeliatur, adhuc de tali relicto non deberetur quarta parochialis, quia non est causa funeris relictum. Ita Innocent. in capitul. in nostra, numero quarto, de sepult. Tufch. dict. conclusionem vi-

gesima septima, numero 33. & seq. vbi refert contrarium tenentes, qui intelliguntur, quoties apparet causa funeris fuisse factum, quia tunc præsumitur in fraudem parochiæ, & deberetur illi quarta parochialis.

Si contingeret, ut legatum fieret Religioso, tunc si intuitu personæ relictum esset legatum, clarum est ex illo non deberi quartam parochialem, cum nec etiam tunc esset legatum pium, secus si intuitu sepulturæ legatum fieret Oldrad. consil. 225. numero 16. & consil. 289. Federic. de Senis Bal. Calder. Gem. Ioan. Andr. & alij penes Tufch. conclusionem 27. numero 35. & seq. qui sic concordat dissidentes opiniones, ut quarta debeatur quoties omnino legatum resolueretur in ius funeris, & tali intuitu esset relictum, ut nullo modo esset contemplata persona legatarii, quando vero illius persona esset contemplata nullo modo quarta debetur.

Tertio principaliter si legatum fieret Ecclesiæ, in qua non sepelitur, nec sibi elegit sepulturam, clarum est ex illo legato non deberi quartam parochialem, quia cessat ratio, qua talis quarta fuit introducta, ita gloss. in c. 1. de sepult. Host. in cap. 2. eod. tit. Ioan. Andr. in c. certificari eod. tit. Archid. in c. 2. eod. tit. in 6. Azor. dict. capit. 13. quæst. 4. §. quartus casus, Oldrad. Feder. de Sen. Gemin. & Bald. quos probat Tufch. dict. conclusionem 27. numero 50. vbi numero 55. ex doctrina Bald. consil. 236. lib. 2. idem probat quoties per accidens postea sepeliretur, in tali Ecclesiæ cadaver legantis, quia attenditur, quod principaliter fit, ex reg. text. in l. si quis nec causam vbi omnes ff. si cert. pet.

Hoc idem procedit, si in illo loco sepulturam sibi elegisset, sed in ea sepeliri non potuisset, quia in hoc casu resoluitur relictum in alios usus pios, ut evincit si in illo loco mortuus non fuisset, sed alibi, ut colligitur ex text. in cap. relatum, de cler. non resid. Feder. de Sen. in consil. 70. & Perus. quos sequitur Azor. d. cap. 13. q. 4. §. octavus casus, Tufch. d. conclusionem 27. n. 51. qui hoc idem probant in omni alio casu, quando sine culpa Ecclesiæ, in qua elegit sepulturam, non potuerit in ea sepeliri.

Ampliant hoc procedere quoties Ecclesiæ parochialis esset interdicta culpa parochi, non autem parochiani, tunc enim necessario ille talis elegisset sibi alibi sepulturam, & consequenter cessat quarta parochialis, secus si nullam causam dedit interdicto, tunc enim non debet iure suo privari Archid. & Gemin. in cap. 1. de sepult. in 6. Azor. d. q. 4. §. sextus casus. Oldrad. & Feder. de Sen. quos probat Tufch. concl. 27. num. 52.

Secundo ampliatur quando ad tempus eligeret sibi sepulturam in illo loco, ut inde transferatur, aliò ad sepulturam perpetuam, quia interim ibi manet loco depositi, & dum cessat ratio cur hæc quarta fuit introducta cessat etiam eius exactio, ut probant Tufch. d. concl. 27. num. 56. Azor. d. q. 4. §. decimus tertius casus.

Tertio ampliatur quoties sepeliretur in tali Ecclesiæ contra voluntatem eius cuius est Ecclesiæ, veluti si tempore interdicti sepeliretur, in Ecclesiæ Regularium habentium privilegium sepeliendi, quia cessat ratio iniuriæ Ecclesiæ parochialis, & successivè etiam cessat exactio, ut post Gemin. in capitulo primo, de sepult. in 6. & Feder. de Sen. consil. 119. notat Azor. dict. quæstione quarta, §. quintus casus.

Quarto principaliter non potest quarta parochialis deduci ex relictis ad usus pios privilegiatos, ut dicitur in quarto casu quintæ responsionis, quæ habetur in capitulo final. de testamen. & in Clem. dudum §. verum de sepult. vbi communiter DD. ut post Bald.

Bald. Calder. & alios notant Tusch. dict. conclus. 27. numero 46. Azor. dict. cap. 13. quaestione quarta, §. duodecimus casus, & cap. 12. quaestione 7. per totam Megal. tom. 2. instit. confels. libro secundo, capitulo 13. numero 20. & seq. & sic de alijs recentioribus. Et idem procedit de quarta Episcopali, prout sunt iura manifesta.

13 Primo igitur dicitur vsus pius privilegiatus quoniam modo relictum fieret ad perpetuum obsequium, diuini cultus, vt pro fabricanda Ecclesia, vel eius reparatione, pro capellis construendis, pro vestibus, aut vasibus Sacris, pro erectione, vel reparatione campanillis, pro luminarijs, aut cereis ad diuinum cultum destinatis, & sic de alijs similibus c. vlt. de testam. vbi Innoc. Couarr. & alij cap. ex parte 1. 2. de verbor. signif. cum alijs cumulatim per auctores citatos.

16 Secundo idem procedit quando legatum fieret ad celebrandum anniuersarium perpetuum, aut pro tricenario, vicenario, aut septenario celebrando in perpetuum, vel pro Missis celebrandis similiter in perpetuum, vt in dict. cap. vltim. de testamen. vbi Host. & in hoc cum alijs cumulatim per auctores citatos, & fuit sic etiam resolutum in Romana Rota in anno 1586. die 5. Martij.

Quod attinet ad relictis pro celebratione missarum clarum est ex illis non deberi quartam parochialem, quia relinquuntur pro onere celebrandi tot missas, Alexandr. conf. 196. n. 5. & seq. lib. 2. quem refert Tusch. in verbo quarta conclus. 28. n. 5. & 6.

Duo autem super sunt notanda in hac materia.

18 Primum est quod si testator reliquerit aliquid pauperibus, vel Episcopo, praesumitur animo compensandi fecisse relictum, cum enim ex dispositione iuris teneatur hanc quartam persolvere vtique legatum praesumitur factum animo compensandi, & eo magis si expresse taliter legatum fieret. Si enim pro quarta non sufficeret possent agere ad supplementum, vt post alios probant Couarr. in cap. officii num. 6. de testam. But. Dec. & alij quos sequuntur Tusch. in verbo quarta conclus. 30. Megal. dict. lib. 2. cap. 14. sub num. 33. versicul. quarto quando aliquid Episcopo.

Secundo aduertendum est, quod in casibus, in quibus debetur quarta parochialis, vel Episcopalis non est soluenda, nisi petatur, hoc enim etiam locum habet in falcidia, & Trebellianica l. si sponfus §. fin. ff. de donat. int. vir. & vxor. & idem procedit in huiusmodi quartis, vt post Bal. in l. si quis ad declinandam §. in omnibus num. 31. C. de Episcop. & cler. notat Megal. d. lib. 2. c. 13. num. 34. quod est per se notum, quia possent parochus, vel Episcopus talem quartam remittere, & eo ipso tacite remittunt, quod expresse illam non petunt, & satis est vt debentes illam persolvere nulla vtantur fraude, quin illam petenti soluant. Etiam quia praescriptio, seu consuetudine praescripta potest introduci, vt huiusmodi quarta non debeatur.

RESOLVT. CCCXLV.

1 Sic non debetur quarta parochialis, eodem modo neque Episcopalis quarta debetur, & in quibus casibus debeatur, vel non: vide num. 2. 3. & 6. 7. & num. 9. & num. 11.

4 De relictis personis non detrahatur quarta Episcopalis, & quando fallit. num. 5.

6 Legatum Ecclesiae non indigenti seruandum est pro futura Ecclesiae refectione.

10 Distributio, quam facit executor censetur facta ab ipso testatore.

12 Tria requiruntur, vt relictum non fiat personis, sed ipsi locis pijs.

13 In detractione quarta non attenditur persona relinquentis, sed locus cui est factum legatum.

14 Quid de relictis confratemitatibus an detrahatur quarta? & num. 15.

16 Non debetur quarta de eo, quod donatum est inter vivos, sed de eo, quod relictum est per testatorem.

17 An debeatur quarta, de relictis factis ab eo qui religionem ingreditur, & num. 18.

Quando non debeatur quarta Episcopalis.

Huius rei responsio patet ex supradictis, nam si cur quarta parochialis, ex privilegio non debetur, ita nec etiam quarta Episcopalis, hoc enim omnes docent ex textu in capitulo constitutus de Relig. domibus cap. in nostram de sepultur. C. requisisti de testam. & saepe alias.

Secundo non debetur pro relictis ad vsus privilegiatos, est enim eadem ratio, & idem est de relictis pro alimentis pauperum, vel pro dotandis puellis pauperibus, vt locis citatis habetur, & sic etiam citata decisi, in anno 1586. die 5. Martij fuit in Rota Romana decisum, vt notat Seraph. decisi. 726. & Quara in Compend. Bullar. in verbo quarta Episcopalis, his verbis.

Circa propositum dubium plures considerata fuerunt difficultates. Prima fuit an Reuerendissimo Domino Episcopo Syracusano debeatur quarta ex relictis pro maritandis, seu monachandis puellis pauperibus, & pro pane praestando qualibet hebdomada pauperibus, & circa hunc articulum Domini dixerunt regulam esse, quod de relictis pauperibus in genere nulla debetur quarta, gloss. in cap. 2. in verbo decernit, & ibi Innoc. num. 1. Abb. n. 8. de sepult. Bal. in l. id quod pauperibus num. 30. versic. addo tertiam rationem C. de Episcopis, & cler. Roman. consil. 223. n. 1. vers. 3. fallit. Petr. de Vbald. de Canonica Episcopali c. 5. num. 10. & 11. & c. 7. num. 15. & 50. & ratio est, quia quando relinquitur pauperibus in genere, relinquitur personis non autem pijs locis; De relictis autem personis non detrahatur quarta Episcopalis, iuxta text. in cap. ex parte 3. de verb. signif. Innoc. Abb. Petr. de Vbald. vbi supra. Fallit autem haec regula in relictis facto pauperibus certi loci, quia tunc legatum videtur factum intuitu illius loci, & sic factum loco pio, vt post Ioan. Andr. limitat Abb. in d. cap. 2. num. 3. & Petr. de Vbald. vbi supra.

Secunda difficultas est an de relictis pro restauratione Ecclesiae matricis, aedificatione, & reparatione Ecclesiarum, Monasteriorum, Hospitalium, & aliorum locorum piorum, debeatur quarta, & Domini censuerunt non deberi, iuxta text. in cap. vlt. ibi seu fabrica de testam. & in d. c. ex parte, ibi vel ad fabricam. Rom. consil. 233. in princip. Capyc. decisi. 23. num. 4. Sed circa hunc articulum insurgit alia difficultas, an hoc casu debeatur quarta quando de praesenti non indiget restaurationem, nam affirmatiuum tenebunt. Host. Ioan. Andr. Anch. in d. c. vlt. de testam. vbi Couarr. existimat esse magis, communem opinionem; contrarium vero tenuerunt. Goffred. Card. Barbat. & ipse Couarr. per text. in c. nobis 2. q. 2. quia legatum Ecclesiae non indigente seruandum est in futuram Ecclesiae refectionem, & restaurationem. Idem in hoc conflictu attendenda est forma legati, si enim testator vult statim, vel in singulos annos solui aliquid pro restauratione Ecclesiae, quae reparationem non indigeat, tunc seruari poterit communis sententia. Si vero legat pro restauratione Ecclesiae, quoties ea indigebit tunc contraria sententia erit sequenda, & sub hoc articulo cadunt etiam relictis pro subuentione Ecclesiae respectu luminarium, ornamentorum, & aliorum ad cultum diuinum pertinentium.

inentium: ex his namque non debetur quarta d. cap. fin. si vero usus esset in determinatus, & non destinatus perpetuo cultui Divino, tunc debetur quarta d. c. ex parte, & c. requisiti de testam.

Tertia difficultas est an de relictis pro alijs operibus pijs, in genere debeatur quarta, & hæc pendet à futuro euentu, si enim executores distribuerint legatum in fabricam, luminaria, & ornamenta Ecclesiæ, vel in concernentia Divinum cultum, tunc quarta non deducitur dict. cap. fin. num. 7. quia distributio quam facit executor censetur facta ab ipso testatore l. vnum ex familia. §. 1. vbi Dyn. Bart. & DD. de leg. 1. secus si executores distribuerent legatum in usum non privilegiatum locorum piorum.

Quarta difficultas versatur circa legatum factum pro maritandis duabus puellis, singulis annis, & pro vna puella consanguinea, & conclusum fuit, neque etiam hoc casu debetur quartam: quia aut sunt pauperes, & non debetur quarta, vt supra dictum est, cum legatum sit factum personis, & non locis, aut non sunt pauperes, & vltra præfatam rationem militat alia ratio, quod tale legatum non dicitur pium, & ideo ex eo quarta non debetur. Tiraq. de privilegijs causæ in princ. quare conclusum fuit secundum legatorum differentias, & distinctiones supra deductas esse in hac causa pronuntiandum.

Omnes casus prædictæ decisionis varijs rationibus, & auctoritatibus post alios comprobant Tusc. in verbo quarta conclus. 21. per tot. Megal. d. lib. 2. c. 14. Azor. d. cap. 12. & 13. vt reticeam alios. Itaque tria simul requiruntur. Primo, vt relictum non fiat personis, sed ipsis locis pijs. Secundo, vt loca pia subiecta sint Episcopo, & tertio, vt relictum locis pijs, subiectis non, sit ad usus privilegiatos, sic enim nec quartam Episcopalem, nec Parochialem deduci pluries superius replicatum est.

Hinc est, vt non attendatur subiectio personæ relinquentis, quia persona se habet per accidens in huiusmodi quartæ, sed attenditur Ecclesiæ, cui fit huiusmodi legatum, & illi Episcopo debetur quarta, cui talis Ecclesiæ subiecta est, vt post Feder. de Sen. & alios late probat Rom. conf. 514. in questione, vbi adden. alios cumulat notat Tusc. dicta conclus. 21. nu. 34.

Quod attinet ad confraternitates, & hospitalia, eadem adhibetur distinctio, si enim essent loca pia, & subiecta Episcopo, vt relictum non esset factum ad usus privilegiatos, tunc deberetur Episcopo huiusmodi quarta, alias secus, vt relatis varijs auctoribus prosequuntur Tusc. d. conclus. 21. num. 20. & n. 38. & seq. n. 59. & seqq. Megal. d. c. 14. n. 26. & seqq.

Si enim non essent subiecta Episcopo, clarum est illi quartam non esse debitam cum requiratur subiectio, vt pluries dictum est. Si regerentur per personas laicas, tunc nec etiam legatum esset pium, & ex hoc defectu quarta non deberetur.

Quod spectat ad donationem inter viuos, vel quod solum est viuentis testatore, vt non debeatur quarta Episcopalis, post alios notat Tusc. d. conclus. 21. n. 67. Megal. d. c. 14. n. 7. & seq. & alij per illum text. in cap. requisiti de testam. hæc enim quarta debetur Episcopo de relictis in vltima voluntate, non autem de illis, quæ habuerunt effectum inter viuos.

Hinc soluitur questio, si debeatur hæc quarta de relictis factis ab eo, qui religionem ingreditur, si enim dispositio fieret inter viuos, essemus in claris, ex illa non debetur hanc quartam, vt patet ex dictis. Si vero per vltimam voluntatem relictum fieret, vt per testamentum, tunc si Religio, in qua professionem emisit esset incapax bonorum in communi, vt emissæ professione testamentum vires habeat, & Ecclesiæ, cui sit relictum subesset Episcopo vtique de tali relicto deberetur quarta Episcopalis, vt post alios notat Me-

Aloys. Ricc. Praxis, Pars 111.

gal. d. c. 14. num. 14. & seqq. Quamuis non deberetur quarta parochialis, vt patet ex dictis.

Si tamen professionem emitteret in religione, quæ sit capax bonorum in communi tunc durante vita huiusmodi professi nulla quarta deberetur. Episcopo, quia interim religio retinet illa bona, etsi in vita tale legatum solueret, tunc transiret in donationem inter viuos, & hæc mihi videtur veritas quicquid alij velint.

RESOLVT. CCCXLVI.

- 1 In taxatione quartæ attenditur consuetudo loci.
- 2 Quarta potest præscribi.
- 3 Quot spatium temporis requiratur ad præscribendam quartam, & vide num. 4. & 6.
- 5 Præscriptio, quæ habere locum contra solucentes quartam debet habere locum contra recipientes.
- 7 Debet esse differentia inter præscriptionem totæ, & quotæ.
- 8 Consuetudine observatur, vt ex cereis, quæ deferuntur in associandis cadaueribus non debeatur quarta.

An, & quomodo præscribatur quarta.

Responsio huius articuli fuit incidenter supra declarata, cum dictum sit, quod etiam in taxatione huiusmodi quartæ attendatur consuetudo loci. Et quod possit præscribi habetur in cap. de quartæ, de præscript. & sæpe alias vt prosequuntur Tusc. in verbo quarta, quæst. 21. num. 31. & seqq. Azor. d. c. 12. quæst. 2. & sic de alijs recentioribus, sed responsio tradita vera est. Quod si questio sit de quartæ, seu certa portione soluenda, tunc quia hæc consuetudo est præter ius posset decem annis præscribi, cum hæc sit regula trita in omni consuetudine præter ius.

Est bene verum quod Hostiens. Ioann. Andreas, & Panorm. in c. certificari de sepult. tradunt requiri spatium quadraginta annorum ad præscribendum, vt Episcopo detur minor pars, quam sit quarta: quia Sacri Canones mandarunt quartam partem deberi, vt pluries replicatum est, & successivè esse consuetudo contra ius canonicum. Si vero vltra quartam partem solueretur Episcopo tunc esset præter ius, & in hoc casu sufficeret præscriptio decem annorum, & hoc probant. Azor. d. c. 12. q. 3. Megal. d. lib. 2. c. 13. nu. 18. qui idem videtur tenere.

Verum præscriptio quæ habet locum contra solucentes quartam, debet etiam habere locum contra recipientes. Vnde si spatio decem annorum posset Episcopus præscribere maiorem partem, quam sit quarta eodem modo procedit contra ex reg. text. in l. 1. C. vt in pari causa non fiat iudicium ad imparia, sed pariformiter iudicentur.

Confirmatur, quia si spatio quadraginta annorum etiam secundum ipsos præscribi potest tota quarta vt ad litteram determinatum est in capit. de quartæ, præscript. estque vera opinio, & communis, vt docet Abb. conf. 31. & 47. lib. primo. Tusc. d. conclus. 21. num. 30. & seqq. & alij & omnes, vtique adesse debet differentia inter præscriptionem totæ, & quotæ.

Attenderetur etiam huiusmodi consuetudo circa exactionem quartæ funeralis, & ita consuetudine seruatur, vt ex cereis, quæ deferuntur in associandis cadaueribus non debeatur quarta, nisi pro illis, quæ remanent in ecclesijs, quia hæc propriæ dicuntur destinata ad funus, & sepulturam, vt patet ex dict. cap. 8. & in his standum esse consuetudini docet Innoc. in c. requisiti. de testam. & nu. 16. & 17.

P RE-

RESOLVT. CCCXLVII.

- 1 Quarta Episcopalis, vel Parochialis, an detrahatur de relictis pro fabrica ecclesie, si ecclesia non indiget refectione.
- 2 Legatum si fiat pro male oblatis, & non appareant tot malè ablata superfluum conuertitur in alias pias causas.
- 3 Legatum pro anima non expressa anima debetur.
- 4 Cappella Dotata si aliquid relinquatur pro cultu diuino, & in ea congruè officietur, an detrahatur quarta canonica.

Quarta Canonica an debeatur Episcopo, vel Parocho de relictis pro Fabrica Ecclesie, si Ecclesia edificatione, vel reparatione non indiget.

Quod debeatur quarta quando Ecclesia non indiget fabrica, nec fiat fraus Ecclesie Parochiali, vel Episcopo tenent Ioannes Andreas Anchar. in cap. fin. de testamentis, & ibi Couarr. asserit esse magis communem, ne fiat fraus Ecclesie parochiali cap. ex parte il terzo de verborum significat. & hanc opinionem dicit esse magis communem Couar. cap. fin.

Contrariam tamen opinionem tenet Goffred. Cardin. & Barbat. in d. c. fin. cui opinioni videtur adhærere Couar. per tex. in c. nobis 12. quæst. 2. vbi si Ecclesia non indigeat, pars deputata fabricæ debet conseruari in futuram parietum Ecclesie refectionem quandoque necessariam Seraph. in decif. Rot. Rom. 726. Attamen in hoc doctorum consensu dicit attendendam esse formam legati, si enim testator vult statim, vel in singulos annos solui aliquid pro restauratione Ecclesie, quæ ea non indiget, tunc seruari poterit communis opinio, vt debeatur quarta, si verò legat pro restauratione Ecclesie quoties ea indigebit, tunc contraria sententia erit sequenda, sed hæc distinctio non videtur remouere argumentum ex d. c. nobis sumptum, vbi debet conseruari pars deputata fabricæ, quamuis Episcopus teneatur singulis annis facere partem pro fabrica, licet ea non indigeat.

Mihi verò aliter videtur, nempe quod remota fraude, quæ ex coniecturis colligitur, nullo modo quarta debeatur, cum enim legatum sit relictum pro fabrica, quarta non debetur ex reg. d. cap. fin. ex eo autem, quod Ecclesia modo non indigeat neque debetur, quandoquidem etiam habemus regulam in legato facto Ecclesie, quod si adimpleri non potest tunc est conuertendum in aliam causam similem, & proximiorum voluntati testatoris cap. nos quidem, cum ibi notatis de Testament. l. legatum leg. quidam ff. de suppellect. legata, & hic erit facienda conuersio in aliam causam pertinentem ad cultum diuinum, vel ornamenta, quæ est privilegiata dict. cap. fin. & successiue siue sit conseruanda, siue non, sed conuertenda in similem causam, non detrahatur quarta, & ita singulariter dicit Butrius consil. 26. dummodo excludatur fraus, vt diximus, facit à simili.

- 2 quod si testator pro male ablatis legauit centum secundum dispositionem alicuius, & postea non apparent tot malè ablata debet superfluum conuertere in aliam piam causam, & non remanebit apud heredem, quia testator debuit esse certus de facto suo capit. ab excommunicato de rescriptis, vt singulariter tradit Zabarell. in clem. vnic. de testam. numer. 26. quini-
- 3 mo si testator dixit lego pro anima mea, & non, expressit summam religionis fauore, & animæ debet fieri distributio vsque ad quantitatem conuenientem iuxta dignitatem personæ facultatem, & numerum liberorum heredum defuncti argum. ff. de legat. 2. l. pater, & l. si quisquis §. 3. ff. de relig. & sumptibus funer. l. cum post §. gener. ff. de iure dotium l. cit. c.

cum tibi de testam. Zabarell. loc. citat. Pone enim quod cappella dotata in qua congruè officietur, seu diuina officia perfoluntur aliquid relinquatur pro cultu diuino fraus colligitur, & detrahatur quarta secundum Capram consil. 155. post Petrum, quem allegat de canonica Episcopali cap. 6. ex quo enim non eget pro cultu diuino, videtur in fraudem relictum.

RESOLVT. CCCXLVIII.

- 1 Quarta Episcopalis non detrahatur de dote Ecclesie.
- 2 Quarta Episcopalis non detrahatur de legato facto ad pias causas prout aliquis elegerit.
- 3 Fundans Ecclesiam, si donat ei stabilia, censetur donare pro dote.
- 4 Donans stabilia Ecclesie pauperi, & indotata censetur donare pro dote.

Quarta Episcopalis an debeatur de dote Ecclesie.

In hac questione licet affirmatiue sit respondendum cum non videatur excepta, prout quidam alij casus in cap. fin. de testamentis.

- 1 Contrariam tamen sententiam consilui, dum in facti contingentia de tali questione esse interrogatus, quod non possit detrahi de bonis assignatis pro dote Ecclesie; ratio est, quia censetur assignata ad perpetuum cultum, quo casu non detrahatur d. capit. fin. de testamentis, & ita tenet Abb. in cap. fin. de censibus Petrus de Perus. in tract. Canonice Episcopalis capit. 7. idque est adeo verum, quod procedit etiam si relictum sit factum ad piam causam, prout aliquis elegerit, & ille eligat fabricam Ecclesie, vel dotem, Bart. in l. vnum ex familia §. 1. ff. de legat. 2. quia videtur satisfactum textui in dict. cap. fin. de testam. pro potestate eligendi concessa illi; Insuper dicit Petrus vbi supra, quod si à principio in fundatione Ecclesie, vel post ipse fundans donaret aliqua stabilia Ecclesie, si non dixerit, quod pro dote Ecclesie aliquid donaret, vel legaret præsumitur in dubio, quod pro dote hoc fecerit, & sic non posset detrahi quarta Episcopalis, ex quo fundator ad hoc tenebatur, & poterat compelli c. cum sit de consecratione Ecclesie, vel altaris argum. l. 2. C. de acquir. possess. & l. quædam mulier ff. de rei vendicat. & quia ex primordio tituli posterior formatur euentus l. vnic. C. de imponend. lucrat. descript. lib. 10. sequitur Bald. nouell. de dote p. 1. cap. 1. num. 7. vbi addit, quod etiam quod fundans adhuc non teneatur, puta quia alia persona quam fundans Ecclesiam legaret
- 4 aliqua stabilia ipsi Ecclesie, præsumitur quod ex causa dotis constituenda hoc fecerit, quando tamen Ecclesia erat pauper, vel indotata, quia ita suadet subiecta materia per id, quod habetur in l. quod autem ff. de iure dotium.

RESOLVT. CCCXLIX.

- 1 Legatum relictum Episcopo censetur relictum contemplatione Ecclesie, nisi fuerit relictum à consanguineo, vel amico.
- 2 Legatum relictum Episcopo à consanguineo censetur relictum intuitu Ecclesie, quando est expressa causa respiciens animam, vel Ecclesiam.
- 3 Ecclesia censetur factum legatum, & debetur ei portio quando relinquatur Episcopo consanguineo, restituendum tamen Ecclesie post mortem Episcopi.
- 4 Episcopo non debetur portio de legato facto Ecclesie Cathedrali, si bona sunt dimissa inter Episcopum, & Ecclesiam.

An

An debeatur quarta de legato facto Episcopo à coniuncta persona restituendo tamen Ecclesiæ post mortem Episcopi.

ANtequam quæstionem resoluam præsupponendum ducas, quod legatum relictum Episcopo censetur factum contemplatione Ecclesiæ ob tam strictam, & arctam coniunctionem, quam habet Episcopus cum Ecclesiâ, & ideo cum distinctione procedam, quod si relinquatur Episcopo ab extraneo præsumitur esse relictum intuitu Ecclesiæ, non personæ, nisi testator exprimat illud tantum esse Episcopi non Ecclesiæ, si verò relinquatur Episcopo à propinquo præsumitur esse relictum non intuitu Ecclesiæ, sed personæ, nisi forte contrarium probaretur ad tex. in cap. requisiti de testam. & quod dictum est de propinquo procedit etiam si relinquatur ab extraneo, sed magna amicitia coniuncto, nam amici plerumque diliguntur sincerius, quam consanguinei, nemo dubitat §. qui frater ff. de hered. instituend. & hæc est communis opinio, de qua testatur Couarr. in d. c. requisiti, sic pariter dicendum est quādo prælatus est benemeritus, licet non sit consanguineus argum. l. nec adiecit ff. pro socio, Soc. in l. ciuib. ff. de rebus dubijs, & procedit etiam si legatum sit relictum Episcopo à prædictis expresso tantum nomine dignitatis, quia intelligitur relictum ratione personæ, non Ecclesiæ. Abb. conf. 93. lib. 2. Aliquando tamen relictum à consanguineo censetur relictum intuitu Ecclesiæ, ut si exprimat aliquam causam, quæ respiciat fauorē animæ, vel Ecclesiæ, nam in antiquis causis legati inspicenda est l. vxorem in principio ff. de legat. 3. Soc. in d. l. ciuib. Insuper relictum ab extraneo censetur relictum contemplatione Ecclesiæ, etiam si nomen Episcopi tantum expressum sit, ita glof. Abb. Couarr. qui testatur de communi in d. cap. requisiti. His igitur præmissis, & eleganter discussis deuenio ad resolutionem quæstionis.

Quæritur nunc autem, cum enim legatum relictum à consanguineo censetur factum intuitu personæ, non Ecclesiæ, cum id procedat, quando post mortem consanguinei Episcopi legatum est Ecclesiæ restituendo? In hoc articulo scias quod debetur portio Ecclesiæ, quia inspicitur is, qui vltimo capere debet, non autem interposita persona l. cogi §. is qui solidum ff. ad Trebelian. l. cum ei qui ff. de legat. 2. l. cum dotem ff. ad leg. Falc. l. Papinianus §. meminisse ff. de inofficio testamento, & ita concludit Roman. singulariter conf. 511. cuius dictum pro singulari refert Decius in leg. & si militibus Cod. de testament. milit. & videtur sentire Mandos. Neque est hic omitendum quod Capra conf. 26. fuit in opinione, quod legatum si fiat Ecclesiæ cathedrali nō debeatur quarta Episcopo iuxta dicto cap. requisiti, si bona sunt diuisa inter Episcopum, & capitulum, quia facta diuisione bonorum, seu reddituum non durat communio inter Episcopum, & Ecclesiam, allegat Innocent. Ant. Immol. Card. in d. c. requisiti, & hodie sic obseruatur, & quotidie video practicari, quod Episcopi habeant bona distincta, & non accipiant quartam de legatis Ecclesiæ.

PRAXIS REGVLARVM CANCELLARIÆ.
RESOLVT. CCCL.

- 1 Cancellariæ regulæ probant tanquam constitutiones locales.
- 2 Cancellariæ regulæ non ligant in vniuersum omnes.
- 3 Cancellariæ regulæ statuta quædam sunt, siue constitutiones, quæ ad certum locum pertinent.

Alojs. Ricc. Praxis. Pars III.

- 4 Lex an sit vniuersalis, an singularis cognoscitur ex loco.
- 5 Cancellariæ regulæ constituunt ius quod singulos, & non vniuersos attingit.
- 6 Natura legis generalis ea est, ut sit perpetua, & stabilis, sed cancellariæ regulæ vna cum authore suo deficiunt.
- 7 Cancellariæ regulæ conditæ tantum fuere ut instrueretur cancellaria, & ius magistratus in literis expediendis.
- 8 Lex communi, & quæ vbique publicatur omnes ligat, & non potest allegari ignorantia.
- 9 Cancellariæ regulæ in curia tantum publicantur, & ibidem tantummodo obseruantur.
- 10 Sententia lata contra legem communem non deductam, nec in iudicio allegatam est ipso iure nulla, sed sententia lata contra regulam cancellariæ valet, & tenet.
- 11 Lex, ut vniuersè liget oportet, ut à Principe dilucidè mandetur omnino obseruari.
- 12 Cancellariæ regulæ probare non possunt tanquam ius commune, sed locale.
- 13 Cancellariæ regulæ non ligant, nisi prius gratia præcipua impetretur, ut allegari, & produci possint.
- 14 Statuta particularia quam primum sunt publica, & in vnum volumen redacta ligant subditos.
- 15 Cancellariæ regulæ certis finibus circumscriptæ sunt, ut nisi prius impetrentur non possint allegari.
- 16 Cancellariæ regulæ constituunt ius generale, etiam extra curiam.

Cancellariæ Regulæ quomodo probent.

Cancellariæ regulas probare tanquam constitutiones locales, non autem tanquam constitutiones generales consuluimus Anchar. conf. 298. numero 1. & 2. incip. efficacibus Iaf. in l. 1. numero 20. ff. si cert. petat. de Belen. in cap. ex parte col. 3. de feud. Zabarel. conf. 99. in fine Dec. in cap. 1. numero 1. in 2. lect. extra de constit. & hinc fit, ut non ligent in vniuersum omnes, ut traditum fuit à Gomef. in prog. reg. cancell. q. 2. n. 1. per multis rationibus adductis.

Etenim hæ regulæ statuta quædam, siue quædam constitutiones sunt, quæ ad certum locum pertinent, ut patet ex eorum titulo; vocantur enim regulæ cancellariæ, cuius quidem denominationis causa fit eius loci gratia tantum, dicuntur enim regulæ respicientes ea, quæ in dicto loco tractantur quemadmodum ex signo cognoscitur, quale, quid sit Doct. in §. testes in lit. de testam. Bald. in l. computationes col. fin. C. de fid. instr. ita lex an sit vniuersalis an singularis cognoscitur ex loco, ea enim quæ rebus accidunt plurimum conferunt, ut intelligatur quale quidque sit l. non omnes §. à Barbaris ff. de re militari Bald. in l. fin. C. de execut. rei iud. cum ergo dictio adiecta Cancellariæ præferat certum locum dicendum erit regulas prædictas constituere ius, quod singulos, & non vniuersos attingat, qualitas enim adiecta dispositioni, ita eam afficit secundum qualitatis adiectæ naturam, ut est tex. in terminis §. sed ius quidem civile Inst. de iur. nat. gent. & ciuili c. statutum de elect. lib. 6. & quando lex ad certum locum pertinet, illos, qui sunt extra locum non ligat cap. 1. & cap. 2. de constitu. lib. 6. l. fin. ff. de iuris. omn. iud.

Secundam subiungit idem Gomef. rationem, quia ea est natura legis vniuersalis, ut sit perpetua, & stabilis l. edita vers. pertinuit edicti C. de edend. mil. in suo repertorio in vers. lex §. 2. Archid. in cap. donatum 1. q. 2. sed hæ vna cum authore suo deficiunt, ut patet in prog. versic. suo tempore duraturæ. Ancharan. d. confil. 297. num. 2. quinimo hæ regulæ tantum conditæ fuere, ut instrueretur Cancellaria, & ius magistratus in literis expediendis, ut patet ex regulis

P 2 gulis